



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**1750**

Caput XIII. Quonam pacto Divinis prædefinitionibus libertas cohærat  
humana?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

tantum causa videri effectum, qui producit à duabus, & consequenter bona opera, quæ efficiuntur à gratia simul & voluntate, non posse in prædestinatione gratiæ infallibiliter prævideri. Tandem frustra conari Augustinianos, ut gratiam victricem cum libertate componant: nam omnis suppositio antecedens, absoluta & impedibilis destruit indifferentiam libertatis: Decreta, prædestinatio, gratia victrix sunt aliquid antedens, absolutum, & impedibile: Tollunt ergo libertatis indifferentiam.

12. Quidam ad 1. respondent sub Paulo  
Solutio 1. V. jam exaratum diploma, quo prohibebatur sententia Ludovici Molinæ, sed sic Deo disponente non fuisse publicatum: verum si promulgatum non est, nullum suppeditat adversus scita Molinæ argumentum. Addunt aliqui proscriptam scientiam *mediam* die xv. Jul. ann. 1697. decreto Caroli Mauricii Le-Tellier Remensum Archiepiscopi: sed nihil nos movere debent privata judicia contra statuta Pontificum. Ergo dicimus scientiam *mediam* in Congreg. de Auxiliis non esse neque damnatam, neque improbatam; tolerari, non commendari; iudicium de ea suspensum, non definitum: servandam inter nos charitatis vicissitudinem, non veritatis deferendam inquisitionem; abstinendum à puerili rixarum prurigne, & à criticis intemperantia: non à sectandis magni Augustini vestigiis. Hæc ad primum.

13. Ad secundum vero dicimus hanc rationem adeo facilem conciliandi libertatem, cum gratia nunquam ab ortu Pelagianismi ad Molinam usque sive ab Augustino, sive ab Ecclesia fuisse probatam: incredibile esse tanto annorum intervallo Christianam Fidem Moliniano Magisterio, si ad veritatem accederet, fuisse privatam: affirmandum esse iis, qui congrua jactant adjutoria, Deum optimum maximum revelasse veritatem Augustino pugnanti adversus hæreticos, & constituto in circumstantiis rerum gravissimis, non Molinæ

scribenti tranquilla pace, debellatis hæreticis, & finita causa Pelagianorum. Augustinianam vero doctrinam turbasse horum hæreticorum reliquias, & prostratorum cinerem ventilantes: consecratam ad hæc tempora Summorum Pontificum laudibus splendidissimis: gloriæ characterem esse, si ea concitati fuerunt ingrati: flocci facienda Launoj dicteria confossa à Clementis XI. vigilantissimis curis fulmine Vaticano. Moliniana dogmata e contra non à Semipelagianis, & gloriosis defensoribus libertatis refelli, sed ab Augustini ac D. Thomæ catervis pugnantibus pro Christi gratia, pro arbitrii facultate, pro imperturbata Patrum suorum traditione.

Ad tertium dico, universas vias Domini esse misericordiam & veritatem, sive iustitiam & pacem. Iis dirigitur Deus in hoc miseriarum statu absque *media* scientia. Videt omnes posteros Adæ originali coinquinatos peccato, & ex una luti massa pro sua potestate fingit sibi vasa honoris, & permittit coagmentari vasa contumeliæ. Quos eligit ad honorem, trahit ad se omnipotentissima gratia, præmovet efficaciter, adjuvat infirmos, erigit elisos, convertit rebelles: hæc est via misericordiæ. Et quotquot reprobat ad contumeliæ, relinquit inhiantes cupiditatibus, sinit dari sponte præcipites, spernit sanie voluntaria confectos: hæc est via veritatis, & via iustitiæ. Ut ergo omnia à fine usque ad finem disponat suaviter, ac fortiter, sufficit scientia *simplicis intelligentiæ*, qua comprehendit quidquid ejus subditur potestati; necnon *scientia visionis*, qua in posteris Adæ cernit miseriam, & culpam, hanc objectum iustitiæ, illam misericordiæ.

Ad quartum vera est responsio, in una causa cognosci effectum alterius, si hæc ab illa recipiat virtutem, motum, & determinationem ad actum: quod præstat Divinum adjutorium hominum voluntati. Ut postremam aufugias muscipulam, faciam oppido.

### CAPUT XIII.

Quonam pacto Divinis prædefinitionibus libertas cohæreat humana?

### SUMMARIUM

1. Regula prima conciliandi libertatem humanam cum Divina prædefinitione ad mentem Thomistarum.
2. Statuitur Regula secunda, & longè melior.
3. Regula tertia quorundam Augustinianorum.
4. Regula quarta nonnullorum aliorum.
5. Quorundam Theologorum opinio re à Jansteniano errore non discrepat. Item asseritur Regula quinta ceteris omnibus præferenda.
6. Regula sexta Recentioribus communis.

Ex

Quomodo  
cohereat li-  
bertas hu-  
mana Præ-  
definitioni-  
bus Divinis.

**E**X Augustiniana doctrina circa præ-  
destinationem & gratiam consequi  
libertatis exitum querebantur o-  
lim Semipelagiani, ut constat ex Epi-  
stolis Hilarii & Prosperi: nec novum  
est, sed in tali officina elaboratum pro-  
positum ultimo loco argumentum. Pro  
cujus solutione advertendum est, mo-  
dum conciliandi cum gratia prædeter-  
minante libertatem visum Sanctissimo  
Protoparenti Augustino perdifficilem,  
ut fatetur lib. iv. contra Julianum cap.  
viii. *Ista questio, ubi de arbitrio libertatis  
& Dei gratia disputatur, ita est ad dis-  
cernendum difficilis, ut quando defendi-  
tur liberum arbitrium, negari Dei gra-  
tia videatur: quando autem asseritur  
Dei gratia, liberum arbitrium putetur  
auferri.* Habet similia S. P. Epist. cv.  
& lib. de Sp. & Litera cap. 39. Hinc  
merito suspecta nobis redditur concor-  
dia per scientiam *mediam*, quæ cum sit  
facillima & obvia, nunquam tamen  
probari potuit Gratia Magistro ac Pro-  
pugnatori Augustino. Dabo in hac re  
clarissimorum Theologorum, qui scien-  
tiam *mediam* rejiciunt, non unam hujus  
conciliationis methodum, & quæ pla-  
nior videbitur, erit nobis eligenda.

PRIMA REGULA.

**I. 1.** Thomistis familiare est recurrere ad  
Regula 1. sensum *compositum*, ac *divisum*, seu,  
quod idem est, ad potentiam *possibilita-  
tis*, & potentiam *positionis*. Sensus  
horum est, salvari hominis libertatem,  
quoniam non potest quidem non agere  
supposita Divina prædeterminatione,  
sed potest absolute etsi ab ea præscin-  
datur. Quemadmodum dum ambulo  
non possum non moveri, at possum ta-  
men desistens ab exercitamento ambu-  
lationis. Hanc autem prædetermina-  
tionem ponunt ad actum, & respectu  
operationis, non quantum spectat ad  
potentiam: scilicet, Deus determinat  
E. G. actum charitatis, sed relinquit li-  
beram potestatem ad odium: in quo  
longe recedunt à sententia Calvinii, qui  
impie asseruit non remanere sub effica-  
ci decreto Dei indifferentiam ad oppo-  
situm, quod jure damnatum est à Tri-  
dentino Sess. vi. Can. 4. Statutum est  
enim *liberum hominis arbitrium à Deo  
excitatum posse dissentire si velit.* Quod  
non eo sensu definitum est, quasi efficax  
Dei motio ad opus salutare non trahat:  
sed quod ita trahat, ut voluntas possit  
resistere, licet efficaciter præmota nun-  
quam resistat.

Addunt aliqui distinguendam esse tri-  
plicem necessitatē: *absolutam*, qua ali-

quid ita est, ut non possit non esse: quo  
sensu necesse est Deum esse: *naturalem*,  
qua aliquid ita est, ut virtute naturali ali-  
ter se habere non valeat: quo sensu neces-  
se est cælum moveri: & necessitatem  
*consequentia*, quo aliquid aliter se non  
potest habere ob rerum connexionem &  
coherentiam; quo sensu necesse est ho-  
minem moveri dum currit.

In horum itaque Theologorum prin-  
cipiis negandum est quamcunque sup-  
positionem antecedentem evertere li-  
bertatem: & si adversarii insurgant di-  
centes fieri non posse, ut stante efficaci  
prædeterminatione non eveniat neces-  
sario res præfinita; recurrendum est  
ad traditam distinctionem, in sensu *di-  
viso*, & necessitate *absoluta* vel *natura-  
li*, nego: in sensu *composito*, & neces-  
sitate duntaxat *consequentia*, concedo.

SECUNDA REGULA.

Quidam, atque, ut arbitror, longe  
melius distinguunt inter causas quæ ex-  
trinsecus movent, atque impellunt, ne-  
que illarum quas præmovent, *formam*  
penetrant, aut *modum* attingunt; & in-  
ter Deum, qui nobis intus nedum  
secundam causam movet, sed etiam ef-  
ficat voluntatem, & cum libera opera-  
tione determinat quoque modum a-  
gendi contingenter. Imprimis, inqui-  
unt, summam habet Deus potestatem  
inclinandi hominum corda quocunque  
velit, ut scribit Augustinus de Corrept.  
& Grat. cap. xiv. *Magis habet in po-  
testate voluntates hominum, quam ipsi su-  
as.* Deinde decrevit Deus quædam  
fieri necessario, & quædam libere, &  
quibusdam effectibus aptavit causas ne-  
cessarias, quæ deficere non possunt, ex  
quibus effectus ex necessitate proveni-  
ant; quibusdam autem aptavit causas  
contingentes & defectibiles, ex quibus  
effectus eveniant contingenter; ut ait  
S. Thomas 1. P. q. 20. art. viii. Ad-  
dunt hi Theologi contingentiam sem-  
per in causam proximam esse refunden-  
dam; *Sicut germinatio plantæ est con-  
tingens propter causam proximam con-  
tingentem, licet motus solis qui est cau-  
sa prima, sit necessarius:* ait idem S.  
Thomas 1. P. q. xiv. art. 13.

Juxta horum principia dicendum est  
inferri quidem necessitatē ex supposi-  
tione antecedente causæ extrinsecæ,  
quæ impellit ad actum, & ex necessita-  
te causæ proximæ, quæ substantia sua  
sit determinata ad unum: non vero ex  
suppositione causæ primæ, quæ non so-  
lum infert actum, verum etiam natu-  
ram causat, & modum attingit. Quod

G g 3

si di-

2.  
Regula 2.

si dicas: Necessè est ut quidquid Deus prædefiniuit, eveniat infallibiliter; respondendum est, etiam prædefinitum fuisse ut mediis liberis futurum sit: quæ si necessario ponerentur, falleretur Divina præscientia, & frustraretur definitio, quum Deus præsciat ac definiat fore ut fiant libere & contingenter. Si rursus insistas, quod possibili posito in actu, nullum, ut fert commune proloquium, sequitur inconveniens: ideoque si potest homo sub efficaci decreto dissentire, supponi potest quod actu dissentiat, & frustretur decretum; pariter dicendum est, verum esse Scholasticum axioma, si possibile ponatur in actu eo modo, quo possibile est: non est autem possibile, ut ponatur dissensus nisi ea libertate, quæ fuit à Deo præfinita. Quamobrem si res est futura, id Deus & præscivit & definivit; & nisi futura esset, etiam hoc à Deo prævisum esset ac definitum.

Hæ duæ rationes conciliandi cum Divinis prædefinitionibus humanam libertatem sunt principiis Thomistarum valde affines. Quibus si nos uti velimus, possumus percommode; dummodo decreta absoluta, gratiam victricem, prædeterminationem non adstruamus ex capite essentialis dependentiæ. Arduum est enim percipere, quod modus sit contingens ac liber, qui suapte natura postulat ad unum determinatum actum prædefiniri.

## TERTIA REGULA.

3.  
Regula 3.

Sunt ex Augustinianis nonnulli, qui efficacem gratiam etiam in utroque statu propugnant, negant tamen esse prædeterminantem. Nam S. P. Augustinus, inquit, in hoc efficaciam gratiæ constituit, quod operetur Deus in nobis bonam voluntatem, & agat motum ejusdem: quod illam stupentem suscitet: quod ex indignatione transferat ad lenitatem; neque aliud est gratia Christi, quam charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. At impossibile est hominem velle, diligere, fieri ex nolente volentem ante motum liberum voluntatis. Non ergo præcedit, inquit, gratia Christi, neque prædeterminat liberum voluntatis arbitrium. Hi propterea, negant gratiam efficacem esse aliquid antecedens & necessarium: negant præcedere actum liberum; negant consequi ex gratia necessitatem operationis.

Mihi vero tam plana & expedita via, nã nunquam Augustino succurrit, vi-

detur tortilis & obliqua. Distinguedum enim est inter actus voluntatis indeliberatos, & deliberatos. Gratiam efficacem esse sanctam delectationem indeliberatam, à Deo excitatam in corde hominis, ultro fateor. Sed deliberatam ac volitam, de cujus libertate agimus, quis appellaverit Christi gratiam? quis non dixerit gratiam in voluntate supponere? Certo per dilectionem deliberatam meremur: & meritum subsequitur gratiam, quemadmodum effectus quilibet suam causam. Igitur sicut actus indeliberatus præcedit deliberatum, ita gratia Christi antecedit actum liberum voluntatis.

## QUARTA REGULA.

4.  
Regula 4.

Nonnulli, qui admittunt statutum supra discrimen inter statum creaturæ innocentis & per peccatum corruptæ, tenent, quod suppositio antecedens si necessaria sit ex capite dependentiæ, & requisita à rerum creaturarum conditione & essentia, fortassis libertatem interimat: ac si contingens sit, accidentalis & ex capite infirmitatis, atque necessaria duntaxat non propter rerum essentiam, sed propter status circumstantias, non libertatem cogere, sed sanare. Quod sequentibus exponunt exemplis. Concupiscentia etiam si pondus sit ad malum inclinans, & adeo grave, ut Apostolus illam dicat legem repugnantem rationi, & captivantem in lege peccati: attamen, ut fides Christiana docet, vulnerat quidem libertatem, sed non interimit, eoquod adventitia sit, accidentalis, & præsupponat in arbitrio indifferentiam, quæ essentialiter constituit libertatem. Nam nullum accidentale, quaecunque sit, essentiam rerum immutat; velut quod homo sit albus, aut niger, nullam infert essentiæ hominis variationem. Itaque cum decretum efficax, gratia victrix, & absoluta prædefinitio non sint creaturæ libertati essentialia, sed exigantur ob vulnus peccato Adæ contractum, non poterunt evertere libertatis naturam. Imo quemadmodum concupiscentia, quæ ad malum inclinat, minuit voluntarium, non tollit: ita gratia Christi, quæ bonam excitat voluntatem, arbitrium perficit, non perimit.

Rursus Divina præscientia est aliquid antecedens, & nihilominus nullam infert necessitatem. Quare? attulimus cap. 3. causam multiplicem. Sed fautores Scientiæ mediæ respondent præscientiam non tollere libertatem, quia nihil ponit in rebus, & objectum supponit,

ponit, non facit: quod universaliter falsum est, multa enim præsciuntur prædestinatione, & multorum ipsa præscientia est causa, cum Scientia Dei respectu plurium rerum sit practica. Sed detur adversariis quod ipsi contendunt. Præscientia, quæ supponit objectum & non facit, non infert necessitatem: Ergo neque necessitatem infert prædestinatio accidentalis, quæ præsupponit arbitrium in sua essentiali constitutum indifferentia. Simile quidpiam proferre possumus ex gratia congrua, quæ antecedit actum, & infallibiliter fortitur effectum; nec tamen officit libertati, quoniam supponit arbitrium in sua essentiali indifferentia.

Præterea explicatur hæc Sententia singulari quadam opinione Suarezii. Disputatur à Theologis de Christi libertate supposito præcepto Patris. Thomassinus docet fuisse tantummodo liberum libertate à coactione, sive lubentia. Maurus censet non fuisse liberum ad transgredienda præcepta, sed solum ad illa adimplenda per hunc actum, vel alium. Quamplures affirmant non fuisse illi impositum præceptum rigorosum. Multi dicunt fuisse liberum non quantum spectat ad substantiam mortis, sed quatenus pertinet ad circumstantias. Quid Suarezius? Is Tom. 1. in 11. P. dist. xxxvii. Sect. 3. ait posse voluntatem Christi considerari dupliciter: 1. ut voluntas creata est. 2. ut unita Personæ Divinæ ipsam regenti; salvari autem in Christo libertatem propterea, quod licet peccare non possit humana Christi voluntas quatenus unita Verbo, potest tamen secundum se inspecta; non enim unio cum Verbo ad humanæ voluntatis essentiam pertinet. *Voluntas*, inquit, *Christi secundum se potest dici potentia peccandi, seu capax peccati, non tamen ut est voluntas Christi, quia jam componitur cum illa voluntate conjunctio cum potentia Divina.* Bene habet. Quomodo salvatur libertas in Christo, quia ejus voluntas secundum se est essentialiter capax peccati, quamvis peccare non valeat prout unita personæ Verbi: salvatur pariter libertas in voluntate nostra ex quo essentialiter sit indifferens, licet prædeterminetur accidentaliter, exigente gratiam indeclinabilem sauciata liberi arbitrii natura.

Itaque ex dictis ita difficultatem resolvunt: Suppositio antecedens, & impedibilis tollit libertatem si essentialis sit, & exigita titulo dependentiæ, transeat: si accidentalis sit, & requisita ex capite infirmitatis, nego.

Si dicas: Ad veram libertatem in statu naturæ lapsæ requiritur non solum libertas à coactione, verum etiam libertas à necessitate; est enim contraria propositio damnata in Jansenio: Atqui ex antecedenti necessario, quamvis accidentali, tollitur libertas à necessitate: Ergo, &c. Respondent dist. majorem. Requiritur libertas à necessitate essentiali, concedo: à necessitate accidentali, nego. Existimavit Jansenius libertatis essentiam constitui per solam immunitatem à coactione, offendens plura in Augustino testimonia, quibus non semel arbitrii libertas per lubentiam & spontaneitatem describitur. At aliter Augustinus loquitur de libero arbitrio disputans contra Stoicos Fati assertores, & contra Manichæos facientes Deum auctorem peccati; aliter contra Pelagianos inimicos prædestinationis & gratiæ. Agenti enim contra Manichæos & Gentiles Philosophos, fat erat afferere malam voluntatem esse ex nobis, neque ad hanc arbitrium cogi aliqua constitutione fatali. At contra Pelagium disputanti necesse fuit demonstrare humanam voluntatem præveniri gratiæ muneribus eo majoris efficientiæ, quo sanandum est vulnus arbitrii, & regenda validis præfidiis infirmitas. Hæc Jansenius, quamquam in Augustiniana lectione aliquamdiu versatus, sub inversusque permiscens, agens de Gratia definitionem arbitrii contra Stoicos traditam unice usurpavit. Illud liberime patrari dixit, quod non fit coacte, etiam si eveniat necessitate aliqua essentiali. Afferuit proinde amorem Beatorum in patria esse undequaque liberum, quia amant summum bonum voluptate ac lubentia; cum tamen necessarius sit necessitate essentiali, neque relinquatur potentiam ad oppositum.

#### QUINTA REGULA.

Doctrinam nuper traditam, quod Theologorum illorum pace dixerim, verbotenus, non re à Janseniano errore discrepare arbitramur. Quippe Jansenius non adeo despuit, ut crederet beatitudinem esse homini essentialem, quinimo in beatis veram libertatem, eandemque ac in viatoribus gratia præventis asseruit, propterea quod, ut gratia victrix, ita Dei visio ad creaturæ rationalis essentiam non spectat. Et quidem toto libro 111. de Statu naturæ lapsæ nititur Jansenius monstrare vitium naturam, libertate carere propter ignorantiam & concupiscentiam, quæ humanam voluntatem capti-

Objeção.

Solutio.

5.  
Regula 5.

vant

vant in lege peccati, & carnalibus desiderii obstringunt: veram autem libertatem restitui per gratiam liberantem, & liberum facientem; & tam concupiscentiam, quam gratiam ita dominari, ut ablata indifferentia ad bonum, & malum agendi inducant necessitatem. Ut ergo concupiscentia non est natura, sed vitium, & gratia non est homini lapsi perfectio essentialis, sed donum, ita per Janfenium, peccandi necessitas & dominatus concupiscentiae accidentalis est, quomodo & accidentalis necessitas recte agendi quam infert gratia liberatix. Tantummodo in sensu Janfenii sub dominatu concupiscentiae, aut gratiae consistit libertas à coactione, quoniam homo peccat culpabili cupiditate, & recte agit victrici delectatione: neque cogit arbitrium cupiditas, vel delectatio. Hæc est perversa doctrina Janfenii: quare non video quo jure Theologi quidam affirmant Janfenium necessitatem essentialem, non accidentalem asserere, & hoc inani præsidio studeant gratiam cum Dei prædeterminatione componere. Quartam ergo regulam reprobo substituta sequenti, quæ est Janfenianis principiis opposita.

Igitur creatura rationalis duabus facultatibus prædita est, intellectu, & voluntate: intellectus objectum est verum, & objectum voluntatis est bonum. Mens non est indifferens ad verum in communi, quia non potest cognoscere quod non est verum; neque voluntas est indifferens ad bonum in communi, quia non potest amare quod non est bonum. Ergo ad verum in communi naturaliter determinatus est intellectus, & ad bonum in communi est naturaliter determinata voluntas. Non ita res se habet circa hoc particulare verum, & circa hoc particulare bonum. Si hoc particulare verum sit per se evidenter clarum, nec videatur per aliud, cujusmodi sunt veritates, quæ appellantur prima principia, E. G. omne totum majus est sua parte, in quibus nulla interesse potest species falsi, naturaliter intellectus determinatur ad assentiendum, nec remanet libertas & differentia judicii. Si autem hoc particulare verum non sit per se evidenter notum, & videatur per aliud, cujusmodi sunt veritates, quibus permisceri potest species falsi, E. G. hæc popositio, Sol circa terram movetur, potest mens assentiri, vel dissentiri, & sive assentiat, sive non, remanet semper indiffe-

rentia judicii ac vera libertas. Pariter si hoc particulare bonum ita proponatur voluntati, ut non possit apprehendi sub specie mali, & sit per se, evidenter, & omnimode bonum, ut Deus visus per lumen gloriæ facie ad faciem, voluntas in hoc bonum tendit eadem necessitate, qua fertur in bonum in communi, in quo nequit apprehendi aliqua ratio mali, & consequenter non remanet in voluntate vera indifferentia ac libertas: at si hoc particulare bonum non proponatur, ut omnimode bonum, neque evidenter & tale apprehendatur, uti in hac vita fides, charitas, martyrium, quæ ita voluntati proponuntur, ut ea possit fugere & nolle, cum possit intellectus apprehendere, & proponere aliquam speciem mali in mundi contemptu, in sui abnegatione, in mortis supplicio; tunc quidem remanet in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppositum.

Ex quibus inferitur primo contra Janfenium, Beatos cum Deum videant intuitivè, non esse in amore beatifico liberos, cum ad amandum Deum clare visum sint naturaliter determinati: unde S. Thomas 1. p. q. ix. art. v. ait: *Cum in Deo sit unum & idem ejus substantia, & bonum commune, omnes qui vident ipsam Dei essentiam, eodem motu dilectionis moventur in ipsam Dei essentiam, prout est ab aliis distincta, & secundum quod est quoddam bonum commune. Et quia in quantum est bonum commune naturaliter amatur ab omnibus, impossibile est, quin diligant ipsum.* Sequitur secundo, quandiu in hac mortali vita degenius, posse Deum libere odio haberi; quia licet per ideam summi boni, & ex rebus aspectabilibus illum cognoscamus existere; tamen per plures effectus apprehenditur sub quadam specie, qua inordinatæ voluntati proponitur tanquam malum, E. G. tanquam prohibens peccata, & pœnam infligens: quod expressis terminis docet idem Sanctus Thomas. 11. 2. quæst. xxxiv. art. 1. in corpore. Sequitur tertio non ideo concupiscentiam non evertere libertatem, quia accidit ex Adæ peccato, & essentia humani arbitrii pravam inclinationem non exigit, ut fateatur quoque Janfenius hac eadem ratione adstruens veram peccandi libertatem in damnatis ac demonibus: Sed quia concupiscentia non ita flectit ad malum, ut non possit proponi voluntati aliquod bonum illi contrarium, quod concupiscitur. Sequitur quarto gratiam prædeterminantem & victricem stare cum

Illatio triplex contra Janfenium.

cum libertate, non quod necessaria sit duntaxat titulo infirmitatis, sed quia ita mentem illustrat, & voluntatem incendit, ut excitari possint contrariæ cogitationes & affectus: veluti quando Martyr per efficacem gratiam determinatur ad mortem subeundam, potest timere mortem ipsam & formidare supplicia. Sequitur ultimo tolli veram libertatem à necessitate etiam per determinationem accidentalem, si talis sit ut non relinquat potentiam ad oppositum; quomodo vincula licet adventitia & accidentalialia tollunt libertatem à coactione, si tam vehementer constringant, ut non remaneat aliqua potestas arctissimos nodos solvendi. Sed hæc alibi accuratius.

## SEXTA REGULA.

6.  
Regula 6.

Postrema regula conciliandi cum Divinis præfinitionibus libertatem est, quam plurimi probant Recentiores: qui docent efficaciam gratiæ non consistere in mortua aliqua qualitate physice prædeterminante, sed in blanda intimaque delectatione, quæ superat determinationem morali omnem adversam cupiditatem. Atque hi putant se facile nodum solvere, dicentes indifferentiam physicam non tolli nisi prædeterminatione physica, & recte componi cum prædeterminatione morali. Utuntur idoneis quibusdam exemplis. Dum (inquiunt) vir compos sui amore tenetur propriæ vitæ servandæ, nunquam in se convertet gladium, nunquam bibit sponte venenum, nunquam ex præalta turri desiliat; quod physice tamen potest, & faciet reipsa si naturali rationis lumine destituatur. Quis etiam, (addunt) dixerit disertissimum oratorem cogere illos quibus, verbis, ac propositis rerum agendarum exemplis ita alicujus rei describit utilitatem, ut non valeant abjicere exhortationes? Ita non cogit, neque affert necessitatem Christi gratiæ, quæ efficaciter pramovet blanda, suavique charitatis delectatione.

Tria notanda.

Tria sunt, ut opinor, in hac regula: unum aperte falsum, unum verum, unum dubium. Verum est, gratiam in mentis illuminatione, & sancta delectatione consistere, ut ex nostris docent Cardinalis Norisius, Augustinus Burgenfis, Basilius Poncius, Manso, alique plurimi; necnon Macedo, Lauria, Isambertus, Habert, Gradin, & infiniti promodum, quibus nec dissentit Hyacinthus Serry in suo D. Thoma conciliato; quamquam communior sit Tho-

R. P. Berti Theol. Tom. I.

mistarum sententia gratiæ naturam sitam esse in qualitate, quæ hanc illuminationem & sanctam delectationem præcedit. Sed hæc quæstio alibi pertractabitur. Falsum est autem hanc illuminationem, & delectationem moraliter, non physice prædeterminare liberum hominis arbitrium; illa enim cælestis illuminatio & casta dilectio, non allicit duntaxat suadetque, veluti dum nuces ostendis puero, & trahis illum, sed vere ac proprie efficit ut faciamus: quare exemplum oratoris non est ad rem; & vereor quin istud nimis ardeat Pelagianis, qui minime negant gratiam trahentem voluntatem sola propositione objecti. Dubium tandem in hac sententia remanet, quomodo hæc prædeterminans delectatio libertatem non tollat; ideoque recurrendum est ad regulam præcedentem: quam confirmat ipsum exemplum hominis deliri occidentis seipsum; qui non peccat, propterea quod mente captus, & nullius consilii, caret indifferentia judicii: & ex adverso homo sanæ mentis sub determinatione naturalis amoris libere servat propriam vitam, quoniam cum tali amore stat judicii indifferentia, ea nempe, quæ apprehendere potest in ipsamet vitæ propriæ conservatione aliquam speciem mali.

Sed quoniam ad cupiditatem & delectationem recurrunt etiam Janseniani, ut sententiam hæreticam Sanctorum verbis in crustatam reddant quodammodo speciosam: observandum est liberum arbitrium comparari aliquando à SS. Patribus statera, quæ hinc, indeque ab imposito pondere flectitur: unde ab Augustino in lib. de Spiritu, & litera definitur cap. 33. *Media illa vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Trahit autem sua quemque voluptas, & pondus animæ est ejus amor; ideoque media illa vis inclinatur in bonum delectatione justitiæ, in malum vero perversa flectitur cupiditate. Ergo Janseniani in hoc turpissime errant, quod liberum arbitrium, quasi mortua esset bilanx, non vis, seu activa facultas, positum inter cupiditatis & gratiæ æqualia pondera opinentur nihil posse operari, ita ut necessario agat quod amplius delectat, uti statera à graviore pondere necessitate dejicitur; ut scribit lib. IV. de Grat. Christi cap. 9. malus Augustini Interpretis Jansenius. Hæc profecto sententia hæretica est: non enim liberum arbitrium est indifferens ad instar stateræ: non est potentia passiva, sed activa;

H h

neque

Notandum  
de compa-  
ratione libe-  
ri arbitrii.

neque post Adæ lapsum periit, & est titulus sine re, sed vivit adhuc, agit, & dum trahitur sive concupiscentia, sive sancta delectatione, habet indifferentiam potentia à nobis superiori Regula expositam. Quapropter æquilibrium Jansenianum, sive æqualem, alternamque concupiscentia & gratia pugnam, quæ sopiri non potest, nisi altera alteram superet delectando, eoque, ut Jansenius inquit, totum vergat pondus, nec non comparisonem statera, quam alio plane sensu, & ad significandam liberi arbitrii indifferentiam activam Patres tradiderunt, perinde ac Calvinii dogma rejicimus & damnamus. Neque tamen admittere possumus æquilibrium aliud virium arbitrii, quasi tantum valeat ad peccandum, quantum ad non peccandum æqua penitus lance: sed firmiter confitemur illud invalidum esse, donec per gratiam Christi sanentur omnes languores animæ, ut Epist. 186. ad Paulinum docet S. Pater. Unde qui tale æquilibrium propugnant, *Videntur esse peccati originalis obliti*, inquit gravissimi Theologi Ludovicus Gotti de Grat. Actuali q. 2. dub. 5. §. 3. & Benitez disp. 111. dup. 1. cap. 1. ambo ex claro S. Dominici Ordine, & Angelici Doctoris magna Schola.

Regula 5.  
Statuitur o-  
ptima.

His, quantum vires ingenii mei poterant, explicatis, quintam Regulam cæteris præfero, & hujus ope reliquas ad Catholicum sensum, in quo ab Au-

ctoribus suis traduntur, existimo revocandas. Itaque affirmo sub efficaci gratia, in sensu composito ac diviso Thomistarum priori regula explanato, manere veram indifferentiam potentia cum determinatione actus, quoniam perseverat cum tali determinatione indifferentia judicii. Idem assero de modo illo intrinseco contingenter operandi, quem modum suprema causa in inferioribus attingit, ut dixi secunda regula. Hoc idem de prædeterminante gratia, cujus necessitas repetitur ex hominum infirmitate. Idem pariter de sancta delectatione, in qua Christi gratiam collocandam esse fatemur. Ex quibus etiam apparet, cur tam sensus compositus & divisus Thomistarum, quam alia omnes regulæ locum non habeant in visione beatifica; quod scilicet non remaneat potentia ad oppositum, ubi summum bonum ita videtur, ut nequeat in eo apprehendi species aliqua mali. Atque hæc est ratio conciliandi decreta absoluta, gratiam, ac prædestinationem Dei cum libertate humana, absque ulla Scientia media. In quibus si nondum lectores acquiescant, oro, ut animadvertant, quod principio monui, hanc perdifficilem esse quæstionem. Ego enim in exitu libri sum, ubi cum Augustino de Spiritu & lit. cap. xxxiv. tantum dixero: *Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptiores.*



DE